

vescentia." Genitalium globulus parvulus. Antherae exsiccatae fuscescentes. Carpella pauciora prismatico-oblonga parva, probabiliter haud satis adulta, examini difficillima, forsan uniovulata. — *Nova Guinea*: ZIPPELIUS.

7. **MONOON? OLIGOCARPUM** MIQ. n. sp. Innovationes subgriseo-velutinae; folia adulta cum ramulis glabra, breviuscula petiolata, e basi rotundata vel acutiuscula elliptico-oblonga ellipticave breviter acute acuminata, chartacea, magnitudine nunc valde diversa, costulis utrinque 15—8 erecto-patulis prope marginem arcuato-evanidis subtus prominentibus, venis transversis subobsoletis; pedunculi axillares breves, fructiferi e toro parum incrassato subgloboso oligocarpi; carpella matura nunc 6 stipitata ellipsoideo-oblonga, pericarpio tenui laevi, monosperma

Species distincta, foliis *Trivalvariae macrophyllae* et *Unionae costatae* quodammodo similis, sed haec in nostra multo tenuiora; fructus indole ductus, huc provisorie retuli. — *Innovationes* griseo-villosulo-velutinae, in specimini bus fructiferis nostris autem omnes partes glabrae, supersunt saltem in foliis hic illic pili perrari; costae probabiliter in iunioribus speciminibus adpresso pilosulae. *Ramuli* tenues. *Petioli* antice aperte nec profunde canaliculati, 3—1½ lin. longi. *Folia* exsiccata pallide griseo-virentia, supra opaca, costa parumper canaliculata, subtus pallidiora haud lucida, costulis erecto-patulis haud crassis sed perspicue prominentibus, prope margines non nisi per anastomoses hic illic subunitis, tenerime vix perspicue transverse venosis, numero cum folii magnitudine incrementante, alia magna oblonga, pedalia, 4 poll. lata, alia minora magis elliptica, minima usque quadripolligaria. *Pedunculi* ex axillis nunc defoliatis solitarii, fructiferi ¾ poll. circiter longi, basi per breve spatium crassiores et cicatriscati (*pedunculus proprius*), caeterum laeves et teretes. *Torus* nuclei cerasorum mole, *Carpella* stipitibus fere semipolligariis suffulta, oblongo-ellipsoidea, basi obtusa, apice obtuso brevi-contracta, 1½ poll., *pericarpio* coriaceo tenui subfragili. *Semen* conforme utrinque obtusum, testa pallida laevi. — *Sumatra occidentalis*: KORTHALS.

8. **MONOON? COSTIGERUM** MIQ. n. sp. *Ramuli* teretes, iuniores adpresso dense griseo-pubescentes (pilis quibusdam patulis); folia breviuscula crasse petiolata, e basi acuta vel lato-subcuneata oblongo-lanceolata vel lanceolato-oblonga modice subabrupte acute acuminata, coriacea, cum petiolo utrinque in costa densius, in costulis et extra eas parce subadpresso pubescentia glabrescentia, supra nitida costulis canaliculato-depressis, subtus his utrinque circiter 12—16 validis alte prominentibus arcuato-erecto-patulis prope margines exacte unitis oblique transverse venosis pertensa; flores...; carpella (juvenilia) oblongo-ellipsoidea brevi-stipitata glabra monosperma.

Huc retuli ob carpella monosperma et quia KORTHALSIUS, qui vivum et florens vidit, "Guatteriam" praedicavit. *Flores* autem speciminibus nostris prorsus desunt. — *Ramuli* teretes, serius cum foliis fere glaberrimi. *Folia* latitudine et magnitudine perquam diversa, *petioli* antice canaliculatis dorso praesertim convexo-crassis nigrescentibus 3—2 lin. longis suffulta, maiora lanceolato-oblonga, circiter pedem longa, 3—2½ poll. lata, vetustiora exsiccatione subolivacea utrinque lucida, minora 7½—10 poll. longa, 2½—2 poll. lata, fere lanceolata, exsiccata gilvescentia, firma lucidaque, pube praesertim in nervis obvia, in petiolo et costa utrinque diutius persistente, in costulis cito rarescente, adpresso vel passim subpatula. *Carpella* supp. prorsus immatura anguste ellipsoidea, glabra, 4—2 lin. longa, stipitibus tenuibus subaequilongis suffulta. — *Sumatra occidentalis*: KORTHALS.

9. **MONOON? SUBLANCEOLATUM** MIQ. n. sp. Gemmae subgriseo-tomentellae; ramuli angulati sub-tetragoni inferne teretes, (sp. fructiferi) cum foliis glabri; petioli breves tumiduli; folia e basi acuta, cuneata vel obtusiuscula lanceolata in acumen longiusculum apice obtusiusculum sensim excurrentia, firmiter pergamentacea, supra costa sulcata, sublucidula, subtus pallidiora, costa prominente, costulis utrinque 14—9 patulis prope marginem arcuato-delitescentibus vel obiter coniunctis tenuibus prominentibus subaventiis; pedunculi..., flores...; carpella longe stipitata obovoideo-ellipsoidea monosperma, semine subellipsoideo, uno latere raphae profunde sulcato.

Ramuli tenues; vetustiores subteretes, cortice nigrescente. *Petioli* nigrescentes tumiduli rimulosi, antice obiter canaliculati, subcylindracei, 2½—2 lin. longi. *Folia* in siccio pallide fuscula, vetustiora utrinque lucidula, et haec supra subviridula, subtus costulis subacutioribus sed tenuibus saepe suboppositis, patulis, sed prope margines sursum arcuatis notata, elliptico-usque anguste lanceolata, 6½—3½ poll. longa, 1½—¾ lata. *Carpella* separata prostans nigrescentia glabra, stipitibus basi curvulis haud crassis 1½—1 poll. longis, suffulta, fere pollicem longa, apice obtuso-rotundata, basi subattenuata, pericarpio tenui subfragili, semine inferne acutiusculo, apice rotundato-obtuso. — *Borneo australis*, in m. Pamatton: KORTHALS.

MONOON CANANGIOIDES MIQ. — *Guatteria Parveana* MIQ. — *G. canangioides* ZOLL. — *Uvaria ei*. — *Carpella* numerosissima, ovario elliptico-oblongo angulato e basi uniovulato, stigmate obovato-oblongo. — *Sumatra*.

MONOON SUMATRANUM MIQ. *sub Guatteria*. *Torus* matus convexo-incrassatus, poly- vel oligocarpus. — *Petala* in sp. perfectioribus nunc examinatis demum glabrata, multo longiora, usque $2\frac{1}{2}$ poll. longa, basi $1\frac{1}{2}$ lin. lata. *Pedunculi* prope basin cicatrisci, caeterum ebracteolati. — A *M. hypoleuco* foliis non discernendum, sed carpellorum forma diversa. — *Sumatra occidentalis*, *Borneo australis*: KORTHALS.

MONOON? LITTORALE MIQ. — *Guatteria* BL. — Species certa, sed genus nondum certe probatum, floribus hactenus incognitis. — Folia haud prorsus glabra, sed subtus praesertim in costa parce pilosula. — Species quam cl. HASSKARL hoc nomine descripta (*Retz. I. p. 116*) vix huius loci, sed fere *Popovia*.

MONOON? PALLIDUM MIQ. — *Guatteria* BL.

MONOON? INCERTUM MIQ. — *Guatteria* BL. — Nimis dubia species, e ramo sterili constituta.

MONOON LATERIFLORUM MIQ. — *Guatteria* BL. — *Folia* e basi rotundata vel subcuneata elliptico- vel obverso-oblonga acuminata vel apiculata, costulis utrinque circiter 12 patule erectis, novella supra in costa cum petiolo dense pubescentia, subtus in costa costulisque vix glabra; *ramuli* pilis rectis et curvulis pubescentes.

MONOON BIGLANDULOSUM MIQ. — *Guatteria* BL. — *Folia* basi utrinque oblongo-glandulosa; costulæ utrinque 6—8 erecto-patulae. — *Formae* sunt: α *latifolia*, foliis lato- vel obovato-ellipticis abrupte acuminatis; β *angustifolia*, foliis elliptico-lanceolatis. — *Carpella* matura in toro parum incrassato 8—3, *semina* valde aromatica fragrantia. — α *Borneo*, in m. Balaran: KORTHALS. — β *Iava*: BLUME. — *Sumatra*, in Doekoe: KORTHALS.

MONOON TEYSMANNI MIQ. *sub Guatteria*. Specimina *borneensis* foliis longioribus et petalis angustioribus instructa. *Sepala* oblongo-ovata acuta vel subacuminata, apice saepius detruncata. *Petala* lanceolato-linearia extus adpresso pubescentia, intus glabra, *exteriora* paullo latiora et breviora 1 poll., *interiora* $1\frac{1}{2}$ poll. longa, iuniora subaequilonga, basi $1-1\frac{1}{2}$ lin. lata. *Carpella* elliptico-oblonga hirtella, stylo brevi, stigmate oblongo crasso, basi uniovulata, matura elliptico-globosa pisi usque nuclei cerasorum mole, stipite $\frac{3}{4}-1$ poll. longo suffulta, iis *Polyalthiae macrorhynchae* valde similia. — *Frutex* 15—25-pedalis. — *Borneo*, in m. Sakoembang, in Martapoera: KORTHALS.

Adnotatio. Huius *forma parvifolia* est *Guatteria palembanica* MIQ., e *Sumatra*, pube paullo densiore.

MONOON GLAUCUM MIQ. — *Uvaria* HASSK. — *Guatteria* m. — Species primum ab HASSKARLIO ad sp. hort. bog. descripta, probabiliter etiam in *Iava* crescens (habeo schedulam: "Arbor in m. Roeboet"), certe autem in *Nova Guinea*, unde *Unonae glaucae* titulo eximia specimina retulit b. ZIPPETIUS. Staminum ovariorumque numero mihiore a plerisque congeneribus remotior, habitu *M. sumatrano* similis. Insigne etiam in hac stirpe obtinet petalorum discriminem pro vario evolutionis gradu. *Folia* subtus haud glabra, uti H. habet, sed novella in petiolis et costa, adulta ad lentem in parenchymate pube brevissima adpressa adspersa. *Flores* e gemmis lateralibus fasciculati, *pedicellis* $1-\frac{3}{4}$ poll. longis. *Sepala* 3 ovata acuta. *Petala* subaequalia subspathulato-linearia vix acutiuscula, nunc exteriora nunc utriusque seriei basi quidquam latiora, utrinque pubescentia crassiuscula, in sp. jav. $2\frac{1}{2}$ lin. longa; *torus* convexus glaber flavo-glanduloso-foveatus. *Stamina* biserialia circiter 24—22 brevi-cuneata, connectivi processu rhombeo perspicue dilatato, loculis connectivo nigrescente antice separatis. *Ovaria* 10—8 ovoidea glabra, stigmate ellipsoideo tumido fere ut in *Anaxogorea* articulatum inserto. *Ovulum* basilare erectum unicum. *Baceae* cerasi minoris mole, stipite subaequilongo abrupte insertae, globosae glabrae. — "Arbor in Nova Guinea 80—100-pedalis. *Petala* flava, *calyx* nigrescens."

TRIVALVARIA MIQ. (*Guatteriae sectio in Fl. Ind. bat. Suppl. I. p. 381*).

Sepala 3 ovata libera. *Petala* 6, biserialia, basi lata sessilia valvata, calyce vix longiora, crassa concava, *exteriora* 3 parumper breviora, *interiora* crassiora concaviora subnavicularia. *Torus* convexus. *Stamina* brevissima numerosa densa, connectivi processu rhombeo superata, loculis dorsalibus. *Carpella* numerosa villosa, e basi uniovulata, stylo oblongo, stigmate obtuso, matura brevi-stipitata succosa ellipsoidea, monosperma.

Ad Popowiam magis quam ad Monoon accedit hoc genus, ab illa petalis exterioribus non sepaloideis, interioribus apice haud inflexis, ab hoc petalis concavis crassis brevissimisque nimis diversum.

TRIVALVARIA MACROPHYLLA MIQ. *Guatteria macrophylla* BL., *G. brevipetala* MIQ. l. c..

Foliis variat; in sp. iavanicas saepe multo maiora quam in icona Blumeana, plerumque obversa ad formam obovato-